

DIE SACRATISSIMA  
NUMQUAM CERTE RETICENDA FUTURIS  
**GLORIOSÆ VIRGINIS ORTUS**  
MEMORANTE  
INNUMERÆ TURCARUM TURMÆ  
MÆLITAM INGRUENTES  
QUATUOR PRÆCIPUAS URBES  
DIRUERE MINABANTUR  
AST INCOLÆ  
PATRONÆ CŒLESTIS FULTI PATROCINIO  
AUSU INSOLENTI  
CHRISTIANÆ FIDÆI OSORES  
PERFUDERUNT FUGARUNT  
EX QUO  
INVICTÆ URBIS CIVES  
IN SIGNEM TRIUMPHUM COMMEMORANTES  
VIRGINIS SANCTISSIMÆ ORTUS QUOTANNIS  
SOLLEMNIORI POMPA  
RECOLUNT VENERANTUR.

# CARMEN

## I.

Arma viros cecinisse velim quis multa diuque  
Perpessis, Lunæ tandem fera signa bicornis  
Debellare datum Melitaque arcere profanos.  
Mœnia si caperent, acies jam cæde cruentas  
Absque mora Romam jurarant ducere saceras  
Pontificis vittas lacerare et perdere regnum.  
Vix cœlum intonuit stultis spes omnis abacta est  
A te principium, tua nam victoria, sumat  
Virgo parens, carmen : votis et tu annue nostris.  
En nova progenies Stygiis emersa latebris  
Ingruit, inque dies passim nova damna minatur.  
Sis felix nostroque Pio largire triumphos !

## IV.

Dives opum belloque potens Solimanus inausum  
Nilque intentatum linquens scelerisve dolive  
Europam penitus sua sub juga ferre studebat.  
Gens quæque exitium sibimet certamque ruinam  
Instare et nullis averti posse putabat  
Artibus. Una salus miseris, spes una superstes  
Rellgio; sed rupta fides discordia demens  
Auri sacra fames, nunc in contraria scissa  
Membra tenet Capite in quo rerum summa potestas,  
In quo vis omnis residet vis nescia vinci.  
Ast aliter summi ductor statuebat Olympi  
Heroesque simul Melitæ ducebat ad oras.  
Hinc subito advolitans totum pennata per orbem  
Nuntia Fama ruens Solymani accesserat aures:  
Bizantique potens violenti concitus ira  
Eoa innumeras mittit tellure phalanges.  
Iamque adeo terras repetunt tot millia densa  
Quæ Melite numquam tanta usquam ac talia vidit  
Agmina sicut vere novo fragrantia surgunt  
Germina luxuriat foliis ut mollibus arbor:  
Haud aliter longo perstabant agmine Turcæ.  
At postquam igne lacerata edunt aera fragorem  
Turribus ex altis certi prænuntia belli  
Urbes continuo tristi miseroque tumultu  
Miscentur, penitusque simul nunc mœnia complent  
Obsessum voces: it tristis ad æthera clamor.  
Tunc pavidae matres currunt per littora flentes  
Amplexosque tenent natos quas inde sequuntur  
Passibus haud equis confecti ætate parentes:  
Atque omnes properant subeundi tecta domorum.

Valletta interea magnus qui sorte Magister  
 Præfuerat Melitæ Solymæ sacri ordinis heros  
 Præclari generis pietate insignis et armis  
 Ad bellum cito sese parat turbamque coercet  
 Discretam ordinibus certis : hinc ipse morasque  
 Tollere ed indomito mentes incendere Marte  
 Incipit, exacuitque animos in prælia cunctis.  
 Tuin ductor castris edicit signa sequantur  
 Ardentisque animos armis pugnæque parent se.  
 Protinus hinc atque hinc cœpit fervescere vulgus,  
 Concita ut Icarii tollunt se cœrula ponti  
 Cum Notus atque altis de nubibus ingruit Eurus  
 Spumantesque cœnt immani turbine fluctus.  
 Haud secus incedunt magno tot millia motu,  
 Sub pedibusque levis densa caligine pulvis  
 Tollitur, excutitur tellus cœlum tonat omne fragore.  
 Iamque in conspectu multis legionibus hostis  
 Apparet jam nunc in nostros impete diro  
 Obvius ire parat sævum est certamen adortus.  
 Protinus adversis Martem invasere maniplis  
 Congressæque amborum acies glomerantur et hastæ  
 Mucrones clypeique una et thoraces aheni  
 Concurrunt flictu ingenti : ferit æthera clanor.  
 Cœdenter letæ voces miscentur in unum  
 Cum gemita miserorum extrema in morte dolentum.  
 Tela madent largo tepefacta est sanguine tellus.  
 Acrius hic Melitæ deinceps animosa juventus  
 Aggræditur magis atque magis contendere pugna  
 Inferior numero sed longe pectore et armis  
 Fortior atque ardens animis per tela per hostes

Fortunæ casus omnes invadere dulci  
Pro patria pulchrumque subit succumbere in armis.  
Multæ hinc atque illinc sternuntur inertia passim  
Corpora longum anceps hæsit victoria, donec  
Paullatim occiduas Phæbus se mersit in undas.  
Interea Turcæ innumera jam cœde suorum,  
Digressi e castris nota in tentoria pergunt:  
Ac defessa gravi tandem nunc membra labore  
Dent curant somno et placidæ indulgere quieti.  
Tunc omnes pariterque silent simul atque quiescunt.  
Haud secus et nostri multa jam nocte jacebant  
Viribus effractis devincti corpora somno.  
At non sic certe Vallettam dulcis habebat  
Sopitum requies curarum: territus ipse  
Multæ volutat secum animo fata ultima forsan  
Ne subeat Melite et pubes delecta virorum.  
Nec Titan adeo lustrarât lampade terras  
Atque aurora pelo gelidam depellerat umbram,  
Quum ductor sociis cœptos perficere muros  
Nec mora præcipit et fossas per moenia duci.  
Facta simul dictis succedunt, ocyus omnes  
Instant ardentes curantque explere laborem.  
Praecipitesque nova pariter jam luce resurgunt,  
Bellandi cupidi scythæ, tunc arma capessunt  
Atque omnes rursum totis concurrere campis  
Exoptant animis iterumque aggredere pugnam.  
Illico Conspicuam repetunt ac vertice collis  
Consistunt acies unde omnis Senglea coram  
Cernitur est etenim magna oppugnare voluntas.  
Hinc iter oppositum simul et pars altera carpens

VII.

Circumfusa ruens aduersa in parte locatur.  
Est procul ante urbem praecelso vertice, collis,  
Campis in mediis : circum vasta undique sese  
Planities tendit quam subter littora ponti  
Subjiciuntur Conradini nomine dicta.  
Huc pergant turmæ ac procero in culmine sistunt  
Unde omnem oppositam speculantur desuper arcem.  
Bellica tormenta atque ingenti mole vehuntur  
Ignibus infestis validos sternentia muros.  
Eheu quot tibi funestos o Senglea luctus,  
Quanta simulque tuæ delectæ funera genti  
Scytha movet, qui tot clades cædemque ruinam  
Iuratus parat in cinerem tua vertere tecta.  
Nec spes nunc adeo fallit : namque undique circum  
Quæ longe superant numero tot millia perstant.  
Nec te finitimi o Patria auxiliare parantur  
Quamquam subsidio precibus tu sæpe vocasti.  
At quamvis nullus lapsis succurrere rebus  
Audet, tu vinces tamen : est in pectore namque  
Inconcussa fides quam olim instituente Magistro  
Dogmata Evangelii hausisti pariterque salutem  
Delens idolum cultum atque altaria vastans.  
Qua tu nunc freta ecquis te oppugnare valeret ?  
Ad palmam tua gens properat sicut inclitus heros  
Numine permotus magnoque incensus amore  
Sacra canens lætus fertur moriturus in ignes.  
Non aliter pia gens optat procumbere in armis.  
At jam Turcarum Coradini e vertice ductor  
Signa tulit : magnis ulularunt vocibus omnes  
Protinus, et rauco strepuerunt cornua cantu.

VIII.

Nec mora pervenient urbis sub mœnibus hostes  
Omnesque impendunt vires evellere vallum :  
Perquiruntque aditum et scalis adscendere muros  
Qua spissa est acies. Telorum immittere contra  
Omne genus cives, illosque expellere vallo  
Desueti quamvis muros defendere bello :  
Atque simul magno volvebant pondere saxa  
Si valeant modo congestam perrumpere turbam.  
Ast ubi Castellum contra advenero priores  
Bellica tormenta infestos jaculantia glandes  
Vertit in adversos ductor qui præsidet arcu.  
Terra tremit crebrisque mugitibus aer  
Impletur, fervetque explosis ignibus unda.  
Præcipitesque statim audentes in mœnia Turcæ  
Sternuntur leto densa caligine tecti.  
Seminecesque alii passim volvuntque ruuntque  
Fluctibus et terram complent pontumque cruento :  
Hinc luctus resonant hinc plurima mortis imago.  
Successu læti cives denso agmine rursum  
Acrius instaurant pugnam nec saxa nec ignes  
Interea cessant effundere : at hostibus inde  
Paullatim cecidere animi et formidine capti  
Conversi celerantque fugam murosque relinquunt :  
Quos Melitæ turmæ ingenti clamore sequuntur.  
Victoresque dein lætum per mœnia cantum  
Edunt, atque omnes simul una templa petentes  
Grates persolvunt dignas laudesque canuntur.

II.

Interea præda cives spoliisque potiti  
Insignem ducebant victo ex hoste triumphum.  
At nova Seytharum ductor nunc plurima versans  
Consilia, eventus belli variosque volutans  
Sollicitam gerit indomito sub pectore curam.  
Hinc acies jubet acciri, fortissimus ipse  
In cœtu surgit medio inde silentia late  
Indicens clamans populis ut verba loquentis  
Acciperent rumpit tandem de pectore voces :  
O Scythæ vos o Libyæ delecta juventus  
Flos veterum virtusque heroum ac fortibus ausis  
Anne igitur decet incœpto desistere victos  
Nec posse infestam Melitæ deperdere gentem !  
Et nos quippe timent populi suntque omnia nutu  
Imperioque simul dominamur gentibus orbis.  
Ergo agite o socii in media nunc arma ruamus  
Vincimus aut moriemur sed moriemur inulti.  
Hæc ait incenditque animos in prælia viris :  
Inde lupi similes dudum quos improba ventris  
Exagitat cæcos rabies camposque per omnes

Horrendam cladem secudis et funera portant :  
Sic quoque præcipites invadant mœnia Turcæ.  
Ac primum valide jaculantes tecta domorum  
Glandibus innumeris jam plurima damna ferebant ;  
Quum dux Valletta jubet munimina duci  
Captivis, sperans illos explere laborem  
Illæsos posse at mirum ! nec fratribus ipsis  
Parcunt ac multo vitam cum sanguine fundunt.  
Talia dum campis late dant funera Scythæ  
Supremus dux sæva inter prælia fertur  
Hinc inde audax perque ignem cædemque cruoremque  
Horrisonosque virum fremitus turbamque ruentem ;  
Hortaturque suos animisque audacibus implet.  
Nec tamen interea iaculari mœnia cessant :  
Huc illuc volitant glandes : it fumus ad auras.  
Ac veluti si forte flamma furentibus Austris  
Ineedit in nemus ac volvunt incendia venti :  
Ipsa furens late ramosque ac tota repente  
Arbusta indomitus prosternit spiritus ardor.  
Haud secus effertur per mœnia clarior ignis  
Et longe propiusque æstus incendia volvunt.  
Tum summam peragunt munimina vasta ruinam  
Vulcano superante fero, nunc proxima flammæ  
Castra flagrant ac circum igni freta lata reluent.  
Clamorem immensum tollunt ad sidera cives :  
Stringunt tela manu nec sat rationis in armis.  
Omnesque et pueri et senes pariterque puellæ  
Quin etiam cruciati morbo stratisque relictæ  
Currebant avidi pugna murosque subibant.  
Ac ubi congressos vidi Valletta cohortes

Talibus inflamat dictis et concitat iras :  
Jam jam non licet humanis confidere rebus  
Spem nostram, tantum cœlo sperare salutem  
Nunc superest : medios iterumque ruamus in hostes  
Pro patria atque fide semper pugnare decebit.  
His dictis animos pugnæ flagravit amore  
Spemque dedit sociis dubium solvitque timorem.  
Illico consistunt alacres atqne obvia contra  
Arma gerunt frontemqne adversaque pectora telis  
Opposuere instant Turcæ glomerantque phalanges.  
Jam furor incensa tota bacchatur in urbe.  
Utque æstate nova messores arva petentes  
Oppositi veniunt jam nunc matura secantes  
Hordea frugiferam vel messem : concidit hausta  
Falce seges multis terra est obruta maniplis :  
Sic nostrorum Turcarumque adversa feruntur  
Agmina sternunturque viri se mutua letho.  
Pons erat in mediis constructus in oppida quemque  
Expugnare omnes pariterque everttere cives  
Certabant : Turcæ contra defendere telis.  
Instant vi patria nostri pontemque sub ipsum  
Nonnulli ingressi tentant divellere ab imo.  
At subito glomerati hostes hinc cominus illine  
Proturbant, quos inter ductorisque nepotem  
Henricum juvenem præstanti pectore et armis  
Cui nullum virtute parem nec fortibus augis  
Gallia misit militiæ decus ornamentum.  
Hunc ubi præcunctis galea cristisque decorum  
Cognorânt hostes confestim adversa tulerunt  
Arma virumque simul prosternunt ictibus arvo.

## XII.

Concidit infelix resupino corpore cœlum  
Aspiciens : sicut flos qui succisus aratro  
Languescit moriens summa radice revulsus.  
Ast tu cadendo vincis fortissime Gallum  
Tu patriæ nostræ vindex et Relligionis  
Martyr ad astra volas redimitus tempora lauro.  
Fortunate ! oh si quid carmina nostra valerent  
Nulla dies memori certe te distrahet ævo.  
Dumque diem portat Phœbus dum se occulit undis  
“ Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.”  
Valletta interea luctu confectus acerbo  
Henrici morte infestum sub pectore vulnus  
Comprimit, nec gemit haud animus turbatur ejusdem.  
Sed templum petiens magna comitante caterva  
Impubis cineri extremos indicit honores,  
Æternamque simul requiem pacemque precatur.  
Stant mœsti comites dejecti lumina vultu  
Sollicitumque premunt alto sub corde dolorem :  
Et belli finem supremo Numine cuncti  
Multis exposcunt votis pacemque requirunt.  
E templo egressi ductor Valletta cohortes  
Præcipit acciri dixitque novissima verba :  
Este viri comites suprema en advenit hora.  
Jam nostros primos hostis demisit ad Orcum  
Et magis atque magis numero superadditur ipse.  
Quid superest ? nullam certe sperare salutem  
Sitque modus tandem virtus pars ultima nostri :  
Utque decet fortes diros incurrimus hostes  
Dejicimur quamvis patriæ sub mœnibus omnes.  
Ast hic Robertus coelesti numine motus

XIII.

Incipit affari: lætas advertite mentes  
O socii: placida stratus quum nocte jacerem  
En Virgo cœlo adveniens mihi visa per auras  
Atque caput supra stetit et mihi verba locuta  
Jpsa hæc quæ refero: venio hic tibi nuncia gaudi;  
Omnia qui regit Melitæ miseratus ab alto est  
Quamprimum vincet Melites cædendentur et hostes;  
Ast pugnare decebit amat victoria curam.  
Talia voce refert dictisque solatur amicis,  
Impellitque animos pugnæ: hinc agmine denso  
Arma fremunt telisque incessunt eminus hostem.  
Dux autem fulgens armis atque ære corusco  
Præ cunctis gradiens densa inter millia fertur  
Intrepidus, longis quamvis confectus ab annis.  
At sibi continuo rediit in pectore virtus  
Et vitam spernens jam nunc per tela per ignes  
Irruit, atque audax in aperta pericula currit.  
Multæ hinc atque illinc prosternit corpora letho  
Quin tamen excedat pugna etsi vulnera gerat.  
Nec minus interea Turcarum densa ruebant  
Agmina ceu strepitu horrisono fremit unda furenti  
Acta Noto in scopulos infestis concita ventis  
Prostantem assiduo quem pulsant æquora fluctu.  
Acrius intendunt vires pariterque sub ipsis  
Mænibus immissi scalis adscendere tentant  
Si qua vexillum possent extollere in altum.  
Flagrantes alii tædas ad culmina jactant  
Quasque dehinc muris diversa in parte receptas  
In densas nostri subito repulere phalanges.  
Præcipites patriis volvuntur mœnibus hostes

XIV.

Atque simul magnam secum trahuntque ruinam.  
At vires Scythæ renovant nostrosque conantur  
Sternere cæde viros Melitæamque excindere gentem :  
Et semel atque iterum adspirat fortuna labori.  
Hostis habet muros jam nunc a culmine ruunt  
Urbes, jam versæ in cineres..... ast qualis in auras  
Lætitiae voces fundit Melitensia pubis !  
Exhilaratque animos et vultu gaudia promit !  
Exulta o Melites coelo miseratus ab alto  
Est Deus ipse tui Scythes terretque fugatque  
Et rabies subito in vanas evanuit auras.  
Iam naves scandunt omnes jam littora linquunt.  
Ergo agite o lætum gens Sengleana triumphum ;  
Pandite nunc tandem portas cantusque movete,  
Atque Deo gratias referens celebrate Mariæ  
Prodigio grati sollemnes ordine pompas :  
Mox facti memores servent per sœcula nomen  
“ Et nati natorum et qui nascentur ab illis.”

A. ZAMMIT

VI. Idus Septembres

MDCCCLXXIII.

*Sengleæ.*